

1485 exploratores cognovit, Venetum cum florentissimo exercitu ad Variolam veterem prima castra fecisse, confessim & ipse cum iis copiis quas habebat (quæ cum Venetis collatæ omnino exiguæ erant) ad Quintianum confedit: hic munitis castris, sine negocio ullo memorabili quotidie exercitum sociorum appendicibus augebat. Placuit interim Severinati, ne omnino in ocio esset, ut Nicolaus Pisaurius legatus & Franciscus filius cum nonnullis equitum turmis in hostium fines irrumperent. Illi, Olio ponte superato, Calcem, & alia quædam ignobilia oppida subito incursu recepere: horum nonnullis præsidio firmatis, reliqua in prædam militi dedere. Hostis interim, etsi non procul hæc gerebantur, haud aliquid tamen movit: nec toto messium tempore ulla alia memorabilis expeditio fuit. Novissime tamen Calaber, sociorum viribus in unum contractis, ita ut supra centum & viginti equitum turmas habere diceretur, ac pro numero equitum peditatum non parvum, motis repente signis, Novos Urceos versus movit. Severinas etsi equitum numero aliquanto inferior erat, quippe qui tres & nonaginta non amplius equitum turmas habebat, quia tamen peditum robore præstabat, ad Veteres Urceos, quo hostem venturum arbitrabatur, se cum omnibus copiis contulit. Affuit & Nicolaus Trivisanus, Brixiae præfectus, qui valido prædio Novos Urceos iniit. Alphonsus interim Metellam adortus, subito ad dditionem compulit; inde alia oppida, ignobilia quidem, nec adeo multa, brevi recepit. Hinc porro digressus Variolam & Scorsariolum occupavit, novissimeque ad Balneolum confedit. Venetus vero, qui non procul sequebatur, quique tempus observabat, ut per occasionem in hostem depugnaret, Maciodio profectus, Turbulas concessit; mox hinc ad Zenonem inter Brixiam & hostium castra metatus est. Hic de pace meliore eventu, quam non multo antea Cæsenæ, coptum est agi; & quo melioribus initiis mota res est, eo fæliciorem habuit exitum. Nam (quod raro unquam accidit) ipsi duces & qui a pace præter cæteros abhorrere consueverant,

se

*Cæstra ad
Balneolum
collata, ubi
pax, quæ
non multo
ante Cæse-
na frustra
mota fue-
rat, sanci-
ta est.*